

in einem einsehbaren Bezug zur modernen Arbeitswelt stehen; hier können die Schüler auch (bei entsprechender Bemühung) messbare „Fortschritte“ machen und überdies das Gefühl haben, dass sie sich mit ihrem Lernen in einem internationalen (neuerdings sogar „globalen“) Rahmen bewegen.

3. Etwaige gymnasialdidaktische Konsequenzen, die sich aus den beiden vorstehend geschilderten Beobachtungen ergeben könnten, muss ich hier berufeneren Kollegen überlassen. Als Altphilologe, der (ähnlich wie Friedrich Maier) eine gesamtgymnasiale didaktische Konzeption als Desiderat empfindet, kann ich hier nur erneut für eine Verstärkung der *geschichtlichen Komponente* in den fundamentalen Gymnasialfächern (also auch in den Naturwissenschaften) plädieren.<sup>1</sup> Entsprechend fühle ich mich, um nochmal auf Günther Anders zurückzukommen, am unmittelbarsten bei seinem Stichwort

„Vorstellen“ angesprochen (denn für die Pflege des „Fühlens“ scheinen mir eher die musischen Fächer zuständig zu sein, und das „Verantworten“ scheint mir in dem Sinne, den G. Anders meint, im Schonraum der Schule noch als zu hochgegriffen). Die Schulung der Fähigkeit, sich Dinge und Sachverhalte (darunter eben auch geschichtliche) *selbständig vorzustellen*, scheint mir in einer Zeit, da einerseits (in der Arbeitswelt) technisches Tüfteln, andererseits (bei der Freizeitgestaltung) akustische und optische Reizüberflutung Hochkonjunktur haben, besonders wichtig geworden zu sein.

- 1) Siehe Verf.: „Schüler, Fächer, Phänomene. Zur Lernmotivation auf der gymnasialen Mittelstufe“, MDAV 1/1983, sowie: „Antike als Gegenbild. Historische Streiflichter zur Industriekultur“, Speyer 1991 (Pilger-Verlag).

HEINZ MUNDING, Schwegenheim

## Personalia

### **Pater Latinitatis vivae LXXV annos complevit**

*Die folgende Ansprache wurde anlässlich eines Freundestreffens zu Ehren des 75. Geburtstags von P. Caelestis Eichenseer (geb. am 1. Juli 1924) am 3. Juli 1999 in Saarbrücken gehalten. C. Eichenseer hat durch zahlreiche Veröffentlichungen, vor allem aber als Herausgeber der Zeitschrift „Vox Latina“, als Vorsitzender der Societas Latina und Leiter zahlreicher Lateinsprechseminare und überhaupt als unerschrockener Protagonist des „Lebendigen Lateins“ internationales Ansehen erworben (vgl. die finnischen Nuntii Latini vom 25.6.1999). Er hat maßgeblich dazu beigetragen, dass das Latein heute noch oder wieder auch ‚extra muros scholarum‘ gesprochen und geschrieben wird.*

Liceat mihi quoque, carissime Pater Eichenseer, hac occasione singulari data in hoc coetu festivo pauca quidem verba proferre.

Primum gratias agere mihi est in animo quam maximas possum, quod me quoque ad natalem tuum septuagesimum quintum celebrandum et ad hoc convivium familiare invitasti. In epistula

tua invitatoria scripsisti tibi esse in animo hunc diem natalem „una cum nonnullis amicis celebrare“. Dixisti „amicis“, id quod mihi non tantum gaudio, sed etiam magno honori est. His enim verbis declarasti te numerare etiam me inter amicos tuos.

Bene recordor de illo die, quo tu, Pater optime, primum in vita mea me in universitatem studiorum Saraviensem invitasti. Fuit ultimus dies mensis Ianuarii sive pridie Kalendas Februarias anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo sexto, id est abhinc amplius viginti tres annos. Illo die convenerunt praeter te tres professores illustrissimi Christianus Helfer, Arrius Schnur, Andreas Thierfelder, quos ego tum primum de facie cognovi, de qua re tibi hodie quoque maximam gratiam habeo. Aderant etiam doctor Burnikel dominique Leinenweber et Siewert, nec non uxor mea, quae una mecum autocineto per orientalem partem Germaniae vecta erat, quae pars tum Res publica Germanica Democratica vocabatur.

Tunc igitur primum te, Pater Eichenseer, coram vidi atque Latine volubiliter loquentem audivi, et ex illo die coniunctio quaedam et benevolentia inter nos est orta, quae usque ad hunc diem permanebat. Confiteor autem me illo die valde timuisse, ne dignitati talium virorum par non essem. Neque enim aetate neque ingenio neque auctoritate neque ‚cursu honorum academicorum‘ (ut ita dicam) eram cum his, qui aderant, comparandus. Tamen pro tua humanitate me sine ulla dubitatione in hanc societatem illustrem invitasti et recepisti, ut ille timor celerrime evanesceret.

Te igitur adiuvante eo tempore cognovi scientiam et prudentiam professoris Helfer, elegantiam et dicacitatem professoris Schnur, sapientiam et benignitatem professoris Thierfelder, maxime autem eloquentiam et humanitatem tuam. Longum est nec necessarium omnes res enumerare, omnia seminaria, omnes concessus et conventus, omnia opera sive opuscula, in quibus conficiendis nostra studia coniunximus.

Haec omnia paucis verbis complectar: Tu in omnibus rebus semper princeps Latinitatis vivae fuisti, praeses Societatis Latinae, moderator Vocis Latinae, praeceptor seminariorum Latinorum. Libentissime autem memini illius seminarii, quod anno 1978 (millesimo nonagesimo duodeoctogesimo) primum in Anglia, in universitate studiorum Leodensi (Leeds), cum professore Osvaldo Dilke instituisti, cui seminario aderat etiam professor ille praeclarus Atheniensis nomine Euthymius Antonaros.

Quamvis te his annis multi fautores Latinitatis vivae consecuti sint, tamen paucissimi erant, qui te revera adiuvarent ac labore suo sublevarent. In quibus sine dubio princeps fuit et est doctrix Sigrides Albert, quae tuam industriam, tuam scientiam, tuam prudentiam, nisi me omnia fallunt, singulari modo aemulatur.

Quicumque fasciculos Vocis Latinae superiores percurrit, sub multis commentariis vel scriptis has tres litteras invenit: **P. C. E.** Quid significant illae litterae? Certe, indicant nomen auctoris, qui est Pater Caelestis Eichenseer. Sed mihi videntur illae tres litterae initiales etiam aliam rem indicare. Significant enim tres virtutes moderatoris praecipuas:

**P** littera significat **Prudentiam** sive etiam humanitatis et Latinitatis **Peritiam** tuam, quae nobis omnibus bene nota est quaque tu toto fere orbe terrarum quasi princeps vivae Latinitatis innotuisti.

**C** littera indicat **Constantiam** tuam. Novimus enim ingenium tuum, quo propter ipsam Latinitatem vivam *multosque per annos* ausus es *tot volvere casus, tot adire labores. Quantae molis erat linguam servare Latinam!*

**E** littera significat, ut ante dixi, **Eloquentiam** tuam. Nam nemo viventium eloquentiam tuam Latinam superare videtur. Et memini te saepe dicere iis, qui Latine loqui discere velint, non esse „rhetorissandum“ nec verbis super modum se extollentibus declamandum, sed simpliciter, intellegibiliter, perspicue, maxime autem bene Latine loquendum atque scribendum.

Si has virtutes, quas dixi, una formula complecti velim, mihi venit in mentem illa *sapiens atque eloquens pietas*, qua Ioannes Sturm saeculo sexto decimo summam totius eruditionis definivit.

Ita nobis praeceptor factus es, qui nobis tuo exemplo viam Latine loquendi et scribendi monstrasti. Itaque iure meritoque *praeceptor Latinitatis vivae* appellaris, vel potius, ut Romani antiqui eum, qui patriam e periculis servaverat, *patrem patriae* nominabant, sic nobis licebit te appellare *patrem Latinitatis vivae*; et hunc titulum invenies etiam in hoc stilo sphaerato (*Kugelschreiber*) incisum.

Sed ut extremum habeat aliquid oratiuncula mea, nunc *orandum est, ut sit mens sana in corpore sano*. „Summa annorum nostrorum sunt septuaginta anni“, ut ait psalmista, „et, si validi sumus, octoginta. Et plerique eorum sunt labor et vanitas. Nam cito transeunt, et nos avolamus“ (Psalm. 89[90],10). Tu autem iam septuaginta quinque annos feliciter complexisti. Proinde speremus te etiam ad proximam metam, id est ad octogesimum annum, tam feliciter venturum esse. Deus autem doceat et te et nos „dinumerare dies nostros“, ut ait psalmista eodem loco, „ut perveniamus ad sapientiam cordis“. Nunc igitur oremus Deum, qui te usque ad hunc diem tueri dignatus est, ut te tueatur diebus innumeris (id quod tu ipse aliis exoptare soles) et „tribuat tibi, quae optat cor tuum, et impleat omne consilium tuum“ (Psalm. 19[20],5). - Dixi.

ANDREAS FRITSCH